



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XXXII. De officio Iudicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

suis Parochianis extremam Unionem, ita ut graviter peccet, si sine justa causa aut eam neget, vel differat cum probabili periculo, ne infirmus interim decedat, ita ut regulares Sacerdotes ex communicationem etiam latae sententiae incurrant, si sine licentia speciali proprii Sacerdotis eam extra casum necessitatis secularibus administrent: & denique Sacramento Matrimonij à Parochianis suis contrahendi assistere etiam debet proprius Parochus vel cum licentia hujus Sacerdos alius.

§. IV.

De predicatione Verbi DEI, & Doctrina Christiana per Parochos tradenda, & aliis functionibus & obligationibus Parochialibus.

Officium Parochi requirit, ut pascat, commissum populum, per se vel

per alios idoneos, si legitime ipse impeditus fuerit, Verbi Divini predicatione saltem singulis diebus Dominicis & Festis solemnibus, & doctrinae Christianae pabulo juventutem instruat, docendo Christianae fidei rudimenta, & morum componendorum doctrinam; Sunt & aliae obligationes & functiones Parochiales ad Parochorum curam pertinentes, uti sunt variae denuntiationes, annotationes, & libri ad hos pertinentes, processiones, benedictiones, &c. quibus se Capellani sine commissione speciali immiscere non possunt, cum illae ad legitimam pascendorum subditorum in spiritualibus curam pertineant, de qua Parochis sua incumbit reddenda ratio, non autem Capellani.

TITULUS XXXII.

DE OFFICIO JUDICIS.

EX dictis jam patet, Judicem eum dici, qui publicam auctoritate constitutus jus dicit populo, causas cognoscendo, judicando & sententiam ferendo, &c. Duplex esse illius officium Nobile aliud, quod per se subsistit, nulli actioni deserviens, & impendi potest, ac obtineri etiam, ubi nulla actio locum habet, nonnunquam & motu proprio judicis impenditur, nonnunquam ad supplicationem partis aut nobilis officij

Compend. Pirhinz.

implorationem: aliud autem dici mercenarium, quod actioni, scil. civili deservit, neque à Judice impertiri potest, nisi ad instantiam aitoris, sive actione praecedente. Differt autem actio ab imploratione officij, quod illa supponat jus ex parte agentis, & debitum ex parte illius, contra quem actio intentatur; imploratio vero officij aequitate potissimum nitatur, non jure.

Aa

§. I. De

§. I.

De duobus Casibus specialibus pertinentibus ad officium Judicis, de quibus agitur in hoc Titulo.

Primus casus est, quod ad officium Judicis pertinet, siue Ordinarius ille sit, siue Delegatus, ut parti litiganti idoneo Advocato provideat (ne patrocinio necessario destituatur) si ob paupertatem, Judicij imbecillitatem, adversarii potentiam, vel ob aliam causam pars litigans talem habere non possit, prout statuitur in *c. ex literis 1. h. t.* Alter casus est, quod in liti contestatio requiratur, si loco actionis Judicis officium impleretur principaliter & contra certam personam; si verò Judicis officium tantum incidenter impleretur, siue ante, siue post ingressum causæ hoc fiat, liti contestatione opus non est. *c. Judicis 2. h. t.* in hoc enim casu vel non requiritur plena causæ cognitio, vel sufficit liti contestatio super negotio principali facta, quæ accessorie se etiam extendit ad incidenter imploratum officium Judicis, quod in primo casu locum non habet.

§. II.

Utrum Judex ex officio suo debeat judicare, secundum allegata, & probata?

Regulariter & ordinariè hoc fieri debere certum est; plurimum tamen dubitatur, utrum in illo etiam casu secundum allegata & probata procedere debeat Judex, quo privatam scientiam scit innocentem reum, qui per publicas tamen in judicio probationes reus esse convictus est. Sunt qui absolutè velint, ferre

sententiam Judicem semper debere juxta scientiam, quam habet, siue privata illa sit, siue publica, & consequenter nunquam posse contra reum, quem privatim ipse scit innocentem procedere; alij cum opposita sententia putant, quæcunque denique privata Judicis scientia sit, secundum allegata & probata semper debere eum procedere, & reum, quem novit ipse quidem privatim innocentem, si publicis tamen probationibus nocens ille convictus est, condemnare debere, tertia tamen sententia, quæ verior videtur, distinguit inter causas civiles & minores criminales, & inter criminales majores, in quibus de vita vel mutilatione, &c. agitur, & concedit, quod in civilibus & levioribus causis criminalibus possit & debeat Judex contra privatam suam scientiam secundum allegata & probata judicare, ita ut quem innocentem privatim novit, si publicis tamen probationibus nocens convictus sit, condemnare possit ad civilem sententiam aut leviolem criminalem poenam, non autem hoc possit, si condemnandus reus esset, quem novit illam privatam scientiam innocentem, quamvis publicis probationibus reus probatus esset ad poenam mortis aut mutilationis: cum enim Republica jus habeat à Dominis sine illorum culpa ex causa boni publici bona temporalia auferendi, & poenam leviolem sustinere debeat innocens, si bonum commune exigat, non autem jus habeat in vitam innocentis, neque hic sustinere debeat invitæ vitæ privationem, &c. consequenter illud fieri poterit, bono publico exigente, ne judicia perturbentur, talem jaçturam ut patiarur innocens,

cens, non autem hoc, de quo Respublica disponere non potest. Vide Auctorem hinc, & cum eodem adverte omnia prius à Judice tentanda esse juxta quamlibet sententiam, priusquam ad sententiam contra innocentem ferendam procedat.

§. III.

Alia questiones ad officium Judicis pertinentes proponuntur, & resolvuntur.

Queritur primò, an iudex secundùm publicas leges judicare debeat? 2. satis quidem certum esse, Judicem inferiorem à legum præscripto recedere non posse (cum ejus non sit in legibus dispensare) prout habetur in *c. 1. de constit. junctâ Glossâ, V. suo sensu. & in cano. Istis 3. dist. 4.* potest tamen supremus Princeps, si ita expedire judicaverit, juris rigorem temperare, & ex causa rationabili in lege dispensare. Sunt insuper aliqui casus, in quibus etiam inferiori supremo Principe Magistratus ob varias circumstantias mutatas Epykiâ uri potest,

& à verbis legis ac rigorosa illius exapitatione recedere, modò à mente legislatoris non recedat, & hinc multa conceduntur Judicis, non quidem infimi, neque tamen etiam supremi tantùm arbitrio circa pœnas imponendas, prout etiam consuetudo docet.

Queritur secundò an & in quibus casibus Judex ex officio supplere possit & debeat, quæ à partibus litigantibus vel eorum Advocatis omissa fuerunt? 2. quæ juris sunt, & ad defensionem causæ pertinent, si à partibus vel rerum Advocatis omittantur, supplere potest Judex, quatenus id ad causæ definitionem necessarium est, non autem quæ sunt facti, proponere scilicet exceptiones, producere testes, sententiam petere, &c. quamvis enim agere possit, quæ ad Judicem spectant, sive pars ea petat, sive non petat, privatum tamen commodum partium, & quæ propriè ad partes litigantes pertinent, assumere non potest, nisi in casibus quibusdam extraordinariis, quæ apud Auctorem hinc videre potes.

